



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Georgii De Rhodes Avenionensis, È Societate Iesv,
Philosophia Peripatetica, Ad Veram Aristotelis Mentem**

Rhodes, Georges de

Lvgdvni, 1671

Sect. iij. De habitu scientiæ generatim.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95638](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95638)

fusè dictum est secunda secundæ, dum egi de actu fidei; quibus vix habeo quod addam.

Prima dubitatio.

Ratio enim dubitandi primò est, quia contraria, imò contradictoria ex eodem subiecto se necessarid expellunt, euidencia & ineuidencia tam opponuntur contradictoriè, aut priuatiuè, quàm lux & tenebræ, cæcitas & visus: ergo sicut implicat ut in eodem aère, etiam respectu diuersorum sint lux & tenebræ, cæcitas & visio; sic implicat ut in eodem intellectu etiam respectu diuersorum actuum, & diuersorum mediolorum simul sint euidencia scientiæ, & ineuidencia fidei ac opinionis.

Secunda dubitatio.

Secundò. Certitudo actualis, & formido actualis non magis inuicem pugnant, quàm actualis euidencia, & actualis ineuidencia: sed actualis certitudo & actualis formido non possunt esse simul, etiam respectu diuersorum motuorum: ergo non possunt etiam esse simul actualis euidencia & actualis ineuidencia.

Tertia dubitatio.

Tertiò. Implicat ut in eodem intellectu simul sint de eodem obiecto assensus & dissensus, quantumcumque illi sint plures actus: ergo implicat similiter ut simul sint actus euidens, & actus ineuidens; actus certus, & actus incertus, importans formidinem, qualis est opinio.

Secunda conclusio affirmans.

Dico secundò, posse saltem diuinitus esse in eodem intellectu actum scientiæ cum actibus fidei & opinionis. Ita olim probauimus contra plures Philosophos & Theologos.

Prima ratio.

Ratio autem primò erat, quia duæ veritates & virtutes intellectuales nunquam inuicem pugnant: sed fides, saltem diuina, & scientia sunt duæ virtutes intellectuales, & earum obiecta sunt duæ veritates: ergo fides & scientia etiam actuales non inuicem pugnant: ergo possunt esse simul. Maior nota est, quia veritas non est opposita nisi falsitati; & virtus non est opposita nisi vitio, sicut lux non est opposita nisi tenebris.

Secunda ratio.

Secundò actus scientiæ non magis excludit ab eodem intellectu actum fidei & opinionis, quàm actus scientiæ intuitiue actum scientiæ abstractiue: sed actus scientiæ intuitiue, & actus scientiæ abstractiue simul sunt, ut patet in Beatis: ergo actus etiam fidei, & actus scientiæ possunt esse simul. Probatur maior. Idè scientia abstractiua, quæ exigit obiectum absens, potest esse simul cum intuitiua, quæ exigit obiectum præsens; quia scientia abstractiua non exigit obiectum præsens respectu intellectus, sed tantum respectu medijs, per quod cognoscitur: sed fides & opinio non requirunt ineuidenciam obiecti respectu intellectus, in quo sunt; sed tantum respectu medijs, per quod cognoscitur: ergo eodem modo repugnant scientia abstractiua, & intuitiua, quò scientia & fides. Cur enim scientia propter obiectum euidens excludit fidem de obiecto ineuidenti; scientia verò de obiecto præsentis non excludit scientiam abstractiua de obiecto absenti.

Tertia ratio.

Tertiò. Constat experientiâ nos posse assentiri ex motiua probabili, cui assensus ex medio demonstratiuo; nam multas eiusdem rei solemus afferre rationes, quarum aliquæ sunt tantum probabiles. Denique sæpe aliquis eidem rei assentitur propter duo motiua, quæ putat esse scientifica; quorum vnum est duntaxat probabile: ille tunc habet actum scientiæ simul cum actu opinionis; nam assensus ex motiua quod probabile tantum est, actus est opinionis; & assensus qui est ex motiua demonstratiua est actus scientiæ: ergo illi actus possunt esse simul.

Ad primum respondeo, euidenciam & ineuidenciam opponi contradictoriè, quando respiciunt idem motiuum; non opponi quando motiuum idem non respiciunt. Neque par est ratio lucis & tenebrarum; cæcitas, facultatis videndi ac visionis; & euidencie ac ineuidencie; quia tenebræ absolute negant lucem in eo subiecto, in quo sunt, & cæcitas etiam in subiecto in quo est negat facultatem videndi: at verò ineuidencia negat quidem euidenciam in eo actu in quo est, sed non negat eum in eo intellectu in quo est; actus enim ineuidens est ille, qui ex vi motiui non cogit intellectum ad assensum, sed impedit ut intellectus ex vi alterius motiui ad hoc ipsum necessitetur, ad quod non necessitabatur ex vi alterius motiui. Quando ergo dicitur aer esse tenebrosus, significatur nullam in eo esse lucem; & quando dicitur aliquis esse cæcus, significatur illum omnino carere facultate videndi. Euidencia igitur, & ineuidencia non comparantur sicut lux & tenebræ; sed sicut paruum & magnum lumen.

Ad secundam respondeo negando maiorem, quod nimirum actualis certitudo, & actualis formido non magis pugnent inuicem, quàm actualis euidencia & actualis ineuidencia; disparitas enim est, quia actus scientiæ qui est euidens, & actus ineuidens affirmant existentiam eiusdem obiecti, vnde fit, ut dixi, ut actus ineuidens neget duntaxat euidenciam in seipso, non autem in intellectu, in quo est; ideoque solum opponuntur ratione obiecti formalis; formido autem actualis negat existentiam obiecti, quam affirmat actus certus; ideoque formido actualis negat certitudinem non tantum in seipsa, sed etiam in intellectu, qui actu formidat, quia non excludit duntaxat obiectum formale, sed etiam obiectum materiale: nemo autem simul & semel dicere potest aliquid pro certo esse, & tamen dubitare an sit.

Ad tertiam eadem responsio est; implicat enim ut assensus, & dissensus de obiecto eodem sint simul; assensus enim affirmat rem esse, dissensus negat esse illam rem eandem. Pugnant ergo ratione intellectus eiusdem, quia vnus excludit obiectum materiale & formale, quod alter affirmat. Opinio ergo importat formidinem aptitudinalem, non importat formidinem actualem, ut constat ex sequenti sectione.

SECTIO III.

De habitu scientiæ generatim.

Post obiectum & actum scientiæ, sequitur habitus, quo actus ille velut sigillum cere impressum consignat intellectum, & veluti diuinitura moriens mater illum fecundat duratura in perenni prole, cum ipsa nascendo moriatur. Supponenda verò sunt hoc loco quæcumque de habitibus in genere traduntur disputatione vltima de anima; & de habitu scientiæ tria sunt generatim ponenda. Primò eius vnitas, verum scilicet vnica tantum sit scientia totalis: secundò multiplex eius diuisio: tertiò comparatio habitus scientiæ cum reliquis habitibus intellectus.

Quæst. I. Sect. III. de Habitu scientiæ. 613

§. I.

Virtus scientia, siue virtus unica tantum sit scientia totalis habitualis.

Sensere doctissimi plures Philosophi, Mathematicam, & Physicam non esse plures habitus scientiæ totales & adequatos, sed esse duntaxat partes vnius habitus totalis, cuius obiectum sit omne scibile. Fuit enim hæc sententia Platonis apud Alcinoium de doctrina Platonis, cap. 4. & 6. Ita etiam docent Picius Pererius lib. 13. *euerfionis singularis certaminis, sect. 6. & 7.* Pererius lib. 1. *Physiol. cap. 8.* & alij citati à Durando quæst. 4. prologi, num. 7. putantque probabilem sententiam Hæc. disp. 1. *metaphysica, Auerſa intro metaphysica.*

Prima dubitatio.

Ratio autem dubitandi est primò, quia non requiritur ad vnitatem scientiæ totalis nisi subordinatio plurium habituum ad vnum obiectum formale; non enim alio modo Physica vna est scientia, & temperantia est vna virtus: sed omnes habitus scientiæ subordinati sunt vni rationi formali, scilicet enti propterea est scibile; scilicet enim vna est ratio formalis, quam respiciunt, & cui possunt scientiæ omnes subordinari: neque intelligibilitas magis est ratio specificans vnam potentiam intellectuam, quam scibilitas specificans vnam scientiam totalem: ergo vnica tantum est scientia totalis, cuius partes sint omnes scientiæ.

Secunda dubitatio.

Secundò, Illa scientia quæ agit de ente in communi est vna scientia, cum ea quæ agit in particulari de quolibet ente: sed vna est scientia quæ agit de ente in communi: ergo vna est scientia quæ agit de quolibet ente in particulari: ergo vnica tantum est scientia. Probat maior, Physica vna est scientia quæ agit de quolibet corpore in particulari ex eo quod agit de corpore in communi: ergo scientia quæ agit de ente in communi, debet etiam agere de quolibet ente in particulari.

Tertia dubitatio.

Tertiò, Si essent plures scientiæ totales, deberent hoc habere propter diuersum modum tendendi in sua obiecta: sed modus tendendi scientiarum vnicus est, scilicet cum euidencia, certitudine ac discursu: ergo vnica scientia. Et sanè sicut vna est fides, quæ omnia creduntur propter diuinam auctoritatem; ita vna scientia est, quæ sciuntur omnia per demonstrationem.

Quarta dubitatio.

Quartò, Quoties per eadem principia probantur conclusiones, eadem est scientia: sed per vniuersalissima principia Metaphysicæ probantur conclusiones omnium scientiarum per reductionem ad impossibile: ergo vna est scientia.

Conclusio.

Dico primò, probabilius omnino videri, quod scientiæ totales habituales sunt reuerà plures inter se prorsus distinctæ ac separatæ. Ita communius docent Philosophi cum Aristotele.

Prima ratio.

Primò enim si esset vna scientia totalis, cuius obiectum esset omne scibile, vnica etiam esset habitus in intellectu, cuius obiectum esset omne intelligibile; vnus in voluntate, cuius obiectum esset omne appetibile; sique scientia & error, virtus & vitium non essent distincti habitus: imò vnus in toto animali erit sensus, cuius obiectum erit omne sensibile.

Secunda ratio.

Secundò vnica scientia totalis non habet modum procedendi nisi vnicum: sed scientiæ naturales diuersum habent modum tendendi: ergo non sunt vnica scientia. Maior nota est, quia modus

R.P. de Rhodes curs. Philosoph.

A procedendi est ipse modus tendendi, qui non potest in vna scientia esse multiplex. Minor probatur, quia si vnus esset procedendi modus in Physica & Metaphysica, Physica posset abstrahere ab omni materia, & Metaphysica posset ab omni materia non abstrahere: hoc autem est absurdum, vt constabit ex sequentibus.

Solutio primæ dubitationis.

Ad primam respondeo negando, quod omnes habitus scientiæ sint subordinati vni rationi formali, nimirum enti propterea est scibile; ratio enim entis, propterea est scibile, non est vna tantum obiectiua ratio, propter diuersum modum procedendi scientiarum diuersarum; quia vt ratio aliqua obiectiua vnica sit, debet attingi eodem modo: sed ratio scibilitatis non potest attingi eodem modo, cum Metaphysica ens attingat vt abstrahit ab omni materia; Mathematica propterea abstrahit à materia sensibili; Physica propterea abstrahit à materia signata: vnde patet disparem esse rationem intelligibilitatis & scibilitatis, quia intelligibilitas in omnibus obiectis attingitur eodem modo; idè est vnica ratio formalis in obiecto intellectus. Scibilitas autem cum attingatur sub diuersis abstractionibus, non est vnica ratio formalis scientiæ.

Solutio secundæ.

Ad secundam resp. distinguendo maiorem. Scientia quæ agit de ente in communi, agit etiam de quolibet ente in particulari, propterea considerato sub eadem ratione formali, & sub eadem abstractione, concedo; propterea considerato sub qualibet abstractione, nego. Ad minorem: sed vna scientia agit de ente in communi, sub vna tantum abstractione, concedo; sub qualibet abstractione, nego. Agit videlicet Metaphysica de ente in communi, & de quolibet ente in particulari sub abstractione ab omni materia, etiam intelligibili; eodemque modo Physica agit de corpore in communi, propterea abstrahit à materia singulari, & de quocunque corpore in particulari, sed sub eadem abstractione.

Solutio tertiæ.

Ad tertiam resp. satis ostensum esse, quod modus tendendi in obiecta non est vnicus in scientiis; sicut neque verum est, quod modus tendendi cum euidencia & certitudine ac discursu sit vnicus; quia diuersæ scientiæ subsunt diuersis abstractionibus. Vnde disparitas est habitus fidei, qui vnicus est propter motuum extrinsecum specie vnicum, quod eodem etiam modo attingitur.

Solutio quartæ.

Ad quartam distinguitur maior. Quoties per eadem principia propria probantur conclusiones à priori, illæ pertinent ad eandem scientiam, concedo; quoties illæ non probantur nisi per eadem principia communia per reductionem ad impossibile, nego conclusiones illas pertinere ad eandem scientiam. Conclusiones omnes scientiarum probantur per illa vniuersalissima principia, per reductionem ad impossibile; non probantur à priori tanquam per principia propria.

§. II.

Quenam sint propria diuisiones scientiarum; & primum diuisio earum in practicas & speculatiuas.

Dixi scientiam vnica non esse; sed illam in varias species diuidi: nunc videndum restat, quenam sint species, in quas illa diuiditur. Video autem duas potissimum diuisiones esse, in quibus

fff

esse

esse possit difficultas. Prima est diuisio scientiæ in speculatiuam & practicam: secunda est diuisio in subalternantem & subalternatam. Diuisio in speculatiuam & practicam ut intelligi recte possit, videndum est, quænam sit propria ratio habitus speculatiui & practici, unde illa petatur, utrum sit essentialis, utrum adæquata. De qua re disputant accuratè Vasquez 1. p. disp. 8. cap. 5. Suarez cap. 13. Gillius lib. 1. tract. 5. à c. 1. ad 8.

Prima dubitatio.

Ratio ergo dubitandi est primò, quia illud est differentia essentialis scientiæ, per quod scientia diuiditur in membra specie diuersa: sed per speculationem & praxin scientia diuiditur in membra specie diuersa: ergo ratio speculatiui & practici est differentia essentialis scientiarum.

Secunda.

Secundò. Illud est essentialis differentia, quo posito ponitur habitus scientiæ; quo sublato tollitur: sublata ratione speculatiui & practici, tollitur scientia; & illa posita, ponitur. v. g. Deus propter speculabilem pertinet ad obiectum Metaphysicæ; si autem consideretur ut amandus, pertinet ad Moralem. Angelus propter factibilem, pertinet ad fabricum; propter speculabilem ad Mathematicum: ergo rationes speculatiui & practici sunt essentielles differentie scientiarum. Confirmatur, quia illæ rationes petuntur ab obiecto formali: ergo sunt essentielles.

Tertia.

Tertiò. Videtur diuisio scientiæ in speculatiuam & practicam, non esse omnino adæquata, quia datur aliqua scientia, partim speculatiua, partim practica; sicut fides speculatiua & practica est: neque videtur dispar esse ratio fidei & scientiæ; imò aliqua scientiæ practice habent plures conclusiones speculatiuas: ergo illæ sunt speculatiuæ.

Definitio scientiæ speculatiuæ & practice.

Dico secundò, scientiam speculatiuam illam appellari, cuius finis intrinsecus est cognitio proprii obiecti, in qua ita sistit, ut ad opus non progrediatur; scientiam verò practicam, cuius finis intrinsecus est operatio aliqua, quæ propriè vocatur praxis. Probatione non eget conclusio, sed explicatione; est enim obsecrum quid significet praxis, quid notitia practica.

Quid sit praxis.

Obserua itaque primò, praxin sic definiti, *Est operatio quacunque intellectualis natura regulabilis per rationem.* Primò est operatio quacunque, idest cuiuscunque potentie humane, siue intellectus, siue voluntatis, siue aliarum potentiarum: contra Scotum, qui negat operationes intellectus esse praxes, cum illæ sint speculationes; implicet autem ut speculatio sit praxis. Verum tota ratio praxeos in eo posita est, quod sit actus regulabilis per actum intellectus: sed plerique actus intellectus regulantur per alios actus intellectus, ut patet ex directione operationum mentis: ergo actus etiam intellectus sunt praxes. Neque verum est, quod omnis actus intellectus sit speculatio; non enim sufficit ad speculationem ut sit cognitio, sed requiritur ut sit cognitio, quæ ad opus non dirigatur; omnis enim cognitio, quæ dirigit aliam, est notitia practica; quæ verò dirigitur, est praxis.

Nomine rationis quid significetur.

Secundò praxis est operatio, quæ possit regulari, idest fieri conformis rationi: ubi nomine rationis significatur dictamen intellectus præscriptoris aliquid fieri, vel non fieri, siue rectè illud dicet, siue non; actus enim vitiosi, & errores artis actus sunt practici; neque tamen sunt conformes rationi rectæ. Praxis ergo est actio qualibet hominis, quæ dirigi potest per intellectum dictantem aliquid fieri.

A Obserua secundò, notitiam practicam, videlicet illam quæ versatur circa praxim, rectè definiti, *Est cognitio quæ apta est ex se dirigere actionem ad quam natura rationalis.* Notitia enim speculatiua versatur circa suum obiectum, non illud regulando, sed solum cognoscendo: cognosco v. g. materiam esse partem compositi physici, ubi nihil est quod cognitio mea regulet. Notitia verò practica circa suum obiectum immediatè versatur illud dirigendo; v. g. illa cognitio, *Temperatè viuendum est cibo*; est de se regulatiua moderatæ comestitionis. Notitia ergo practica duplex habet obiectum. Proximum est semper actio aliqua potentie humane, quam regulat, & à qua specificatur, ut in exemplo dato comestio moderata. Remotum est aliqua res, circa quam versatur praxis, ut in dato exemplo cibus; & hoc non specificat nisi radicaliter notitiam practicam, quatenus specificat praxim, per quam specificatur notitia practica.

Denique notitia practica dicitur esse apta ex se, quia duplex in qualibet notitia est finis, alter extrinsecus ipsius scientis, alter intrinsecus ipsius scientiæ. Finis extrinsecus est is, ad quem pro arbitrio suam cognitionem aliquis dirigit, ut cum aliquis Mathematicam addiscit ut arcem extrinsecæ arcis adificatio est finis extrinsecus huius cognitionis, neque sufficit ad notitiam practicam ut illa directiua sit actionum, quas ex fine extrinsecæ sibi aliquis prætuit, sed requiritur ut ex intrinsecæ fine directiua sit huiusmodi operationum; alioqui scientia qualibet speculatiua esset practica, cum nulla sit quam ex amore virtutis, aut etiam ex amore lucri quisque addiscere non possit.

Est igitur notitia practica velut idea actionis faciendæ, sicut pictor dum de imagine pingenda cogitat, praxis est ipsa depictio imaginis, cuius obiectum est imago, notitia verò practica est cognitio, quæ pictor scit hoc, vel hoc modo pingendam esse imaginem.

Si verò quaratur, unde peti possit distinctio notitiæ practice à speculatiua, notum est illam non peti ab obiecto materiali, cum circa idem obiectum materiale possit versari utraque notitia: v. g. circa Deum versatur Metaphysica, & Moralis. Petitur ergo solum ab obiecto formali, & à fine intrinsecæ utriusque notitiæ; quod nimirum notitia practica versetur circa obiectum operabile, idest tradendo præcepta illius faciendi; speculatiua versetur vel circa obiectum non operabile, vel non propter operabile, non tradendo scilicet præcepta eius faciendi.

Dico tertiò rationem speculatiui & practici non esse differentias essentielles scientiarum & habituum, sed esse solum condiciones & affectiones inseparabiles.

Ratio est, quia illud non est differentia essentialis alicuius habitus, quod non est eius obiectum formale, ratio scilicet assentiendi obiecto: sed ratio speculatiui & practici non est motuum assentiendi, sed conditio solum aliqua illi motui adiuncta: ergo non sunt differentie essentielles.

Dico quartò, diuisionem scientiæ in speculatiuam & practicam ita esse adæquatam, ut nulla speculatiua scientia purè naturalis possit esse partim speculatiua, partim practica. Ita omnino colligitur ex S. Thoma 1. p. q. 1. art. 4. ubi ait id interesse inter Theologiam & scientias purè philosophicas, quod Theologia sit speculatiua simul & practica, quia obiectum eius remotum est Dei reuelatio, proximum autem sint articuli reuelati, propter cognoscibiles

biles per discursum; scientiæ verò naturales sint vel speculatiuæ simpliciter, vel simpliciter practiæ.

Probatio.

Ratio ergo est, quia nullus habitus potest esse speculatiuus & practicus, nisi habeat obiectum formale speculabile simul & practicum: sed implicat ut habitus aliquis scientiæ habeat obiectum formale speculabile simul & practicum, quia illud motuum identificaretur rebus contradictoriè oppositis: ergo implicat ut eadem scientia naturalis sit speculatiua simul & practica. Deinde nullus habitus potest esse speculatiuus & practicus, nisi ratio illa utraque petatur ex parte obiecti vel materialis, vel formalis: ex neutro peti potest in scientiis naturalibus. Non ex parte motui, quia ut dixi, rei eidem non possunt conuenire rationes contradictoriè oppositæ. Non ex parte obiecti materialis, quia non potest ratio illa utraque conuenire obiecto materiali, cui motuum est intrinsecum, quin etiam conueniat motui. Et in hoc est disparitas scientiarum, quæ nituntur motui intrinseco obiectis materialibus; & habituum, qui habent motiua prorsus extrinseca, cuiusmodi est fides, cuius motuum est authoritatis dicentis; nam fides est speculatiua ratione obiecti formalis; practica verò ratione aliquorum obiectorum materialium, quibus authoritas illa extrinseca est. Sic enim conueniunt eidem praxis & speculatio ratione diuerforum obiectorum, etiam materialium, in quo non est vlla contradictio, qualis esset in scientiis, quæ motuum habent intrinsecum.

Solutio primæ dubitationis.

Ad primam respondeo negando maiorem hanc. Illud est differentia essentialis, per quod scientia diuiditur in specie diuersa; nam sufficit ut sit conditio essentialis, & affectio inseparabilis: sicut nemo dicit abstractiones esse differentias scientiarum, & tamen per abstractiones diuiduntur scientiæ: quæ proportio abstractionis explicat optimè, quomodo speculatio & praxis non sint differentie, sed conditiones essentielles.

Solutio secundæ.

Ad secundam respondeo distinguendo maiorem. Illa est differentia essentialis habituum, quæ sublata tollitur primariò & per se ipse habitus, concedo; quæ sublata tollitur consequenter, nego. Sed sublata ratione speculatiui & practici, tollitur habitus consequenter & necessariò, concedo; primariò & per se, nego. Eodem modo ac sublata abstractione, tollitur consequenter ratio habitus. Ad confirmationem negatur, illud esse differentiam essentialem, quod petitur ab obiecto formali; quia ipsum obiectum formale differentia est essentialis; quod verò petitur ab obiecto formali, est essentialis & inseparabilis conditio.

Solutio tertie.

Ad tertiam patet ex probatione vltimæ conclusionis discrimen fidei, quæ habet motuum extrinsecum; & scientiarum naturalium. Neque verum est, vllam in scientiis practicis esse conclusionem speculatiuam, quia licet illa demonstrent multas proprietates obiecti sui, & licet habeant notitias multas vniuersales; illæ tamen notitiæ sunt purè practiæ, quia totæ diriguntur ad regulandam praxin.

S. II.

Diuisio scientiæ in subalternantem & subalternatam.

Quid sit scientia subalternata.

Subalternari dicitur alteri vna scientia, quando est sub illa. Subalternata vocatur illa, quæ alteri subest: subalternans illa, sub qua est altera. R. P. de Rhodis curs. Philosoph.

Ara. De hac diuisione scientiæ agunt Suarez *disp. 1. sect. 5. Gillius lib. 1. tract. 6. cap. 5.* Ego breuiter quarto primùm, quomodo illæ distinguantur penes obiecta; deinde quomodo differant penes principia, vnde colligi faciliè possunt conditiones subalternationis scientiarum.

Ratio enim dubitandi primò est, quia Philosophus discrimen assignat scientiæ subalternantis à subalternata, quodd subalternans scit *propter quid*, subalternata verò scit quia: ergo hæ scientiæ non habent idem obiectum, sed obiectum vnius causa est obiecti alterius. Imò cum non participant eandem abstractionem, non videntur pertinere ad idem genus scientiæ.

Prima dubitatio.

Secundò non potest dici, quod scientiæ subalternatæ obiectum addit aliquod accidens obiecto scientiæ subalternantis; sic enim obiectum scientiæ subalternantis erit ens per accidens. Imò Naturalis subalternatur Astrologiæ, & tamen sine accidente superaddito idem cognoscit, quod illa. Machinatiua subalternatur Stereometriæ, siue illi quæ agit de solidis; & tamen utraque considerat figuras easdem ædificiorum. Denique sequitur Musicam & Opticam subalternari Physicæ; nam illa considerat sonum, ista visum. Et dari eodem modo debet scientia specialis de linea recta, & de linea alba.

Secundæ.

Tertiò scientia subalternata vel sumit pro suis præmissis conclusiones scientiæ subalternantis vt ex sola fide notas, vel vt probatas. Si primùm, non est vera scientia; si secundum, cognoscit propter quid non minùs quàm subalternans: ergo non debet assumere conclusiones subalternantis.

Tertiæ.

Dico primò, scientiam subalternatam idem habere obiectum, quod habet scientia subalternans, sed certæ tamen materiæ applicatum, & auctum accidentali aliqua differentia, cui annexa sit specialis aliqua scibilitas. Tres sunt partes conclusionis sigillatim probandæ ac explicandæ.

Assertio tripartita.

Prima docet idem esse obiectum vtriusque scientiæ. Cum enim scientia subalternata propriè dicta illa sit, quæ est sub alia; idè autem vna sit sub alia, quia vna idem habet obiectum quod alia, certè sequitur idem esse obiectum scientiæ subalternatæ, quod est obiectum subalternantis. Probatur, quia scientia subalternans cognoscit propter quid; scientia verò subalternata, cognoscit quia: ergo utraque circa idem obiectum versatur. Neque sufficit v. g. ut finis vnius ordinetur ad finem alterius: v. g. frænofactoria non propriè subordinatur equestri. Neque necesse est vt vna quibuscumque utatur principiis, quibus vtitur altera; v. g. chirurgia impropiè subalternatur Geometriæ, tamen accipiat hoc eius principium, *Figura isoperimetra maior est circulari*; hinc enim cognoscit chirurgus, vulnera rotunda curari difficilius.

Idem esse obiectum vtriusque.

Secunda pars negat, illud obiectum esse omninò idem. Ratio est, quia nulla scientia egredi potest extra fines obiecti sui adequati, cognoscendo aliquid quod sit extra propriam abstractionem; v. g. vt Geometria cognoscat aliquid, quod non abstrahat à materia sensibili: sed obiectum scientiæ subalternatæ non habet abstractionem scientiæ subalternantis, vt statim probabitur; v. g. Naturalis cognoscit tempestates nasci ex talium astorum conjunctione, quod Astrologia non cognoscit.

Obiectum aliquo modo est diuersum.

Discrimen
accidentale.

Tertia pars docet, quomodo vtrumque illud obiectum diuersum sit. Dupliciter enim potest obiectum vnum sub altero contineri. Primum quidditativè, quando species illius est, v.g. cælum species est corporis naturalis. Secundò addendo illi accidentalem aliquam differentiã, seu applicando illud certæ materiæ, quæ faciat illud obiectum speciali aliquo modo scibile; sic enim idem est obiectum illius, sed minùs latè patens, & restrictum ad certam aliquam materiam, cui applicatur: v.g. obiectum Arithmeticæ est numerus, obiectum verò Musicæ numerus sonorus; sic enim numerus restringitur & applicatur sono, idè Musica subalternatur Arithmeticæ. Partiales autem scientiæ de particularibus generibus & speciebus corporis naturalis non subalternantur scientiæ Physicæ, quia non contrahunt obiectum eius per aliquid accidentale & extrinsecum, sed per differentias essentielles ipsi obiecto; scientia verò subalternata obiecto subalternantis addit aliquod accidens, applicando illud certæ alicui materiæ.

Neque tamen sufficit quodlibet accidens, alioqui specialis daretur scientia de linea recta, de linea alba, &c. sed debet esse huiusmodi accidens, ut ex tali coniunctione resultet aliqua scibilitas per se subordinata scibilitati scientiæ subalternantis, ut numerus propter sonorus specialiori modo est scibilis, quàm numerus in communi.

Dico secundò. Scientia subalternata sumit à subalternante omnia sua principia, ita ut omnes præmissæ scientiæ subalternatæ sint conclusiones subalternantis, sicque scientia subalternata in eo solo est scientia, qui habet subalternantem.

Ratio est, quia scientia subalternans, ut ex Philosopho dixi, cognoscit *propter quid*; subalternata verò cognoscit *quia*. Hoc autem verum esse non potest, nisi præmissæ demonstrationum scientiæ subalternatæ sint conclusiones scientiæ subalternantis: ergo, &c. Inde autem omninò sequitur, quod scientia subalternata in eo non sit scientia qui non habet subalternantem; quia omnis demonstratio debet habere præmissas evidentes; non sunt autem evidentes nisi ut probatæ per scientiam subalternantem.

Solutio prima
dubitatur.

Ad primam respondeo verum quidem esse, quod scientia subalternans cognoscit *propter quid*, subalternata verò cognoscit *quia*; & tamen idem est vtriusque obiectum. Quia illud *propter quid*, non est ipsum obiectum, sed passio illius obiecti circa quod versatur scientia subalternans. Ad id quod additur de abstractione, respondeo scientias subalternatas pertinere ad idem genus, & ad eandem speciem ipsius scientiæ subalternantis, non quidem propter illa esse purè talis; sed esse scientias medias, eo quod sint contractiores, neque puram illam abstractionem tam perfectè participant: v.g. Geometria & Arithmetica sunt purè mathematicæ, quia omninò abstrahunt à materia sensibili; Astrologia verò & perspectiva sunt scientiæ mathematicæ quodammodo mediæ, quia sunt de re contracta ad materiam sensibilem; pertinent tamen ad eandem scientiam, quia participant eandem abstractionem non ita perfectè, quia sunt de re quæ abstrahi ex sua natura potest à tali vel tali materia sensibili; Musica de numeris, Astrologia de mensuris.

Solutio secunda.

Ad secundam respondeo ens per accidens, quod est ordinatum, esse aliquid scibile; huiusmodi autem est obiectum scientiæ subalternatæ, quod licet sit ens per accidens in ratione rei, tamen in ratione scibilis est verum ens per se; nam Musica

v.g. totum hoc non habet pro obiecto numerum & sonum, sed numerum propter est in sono, quod non est ens per accidens. Similiter perspectiva non considerat lineam & visum, sed lineam propter est in materia visuali; alias enim lineas non considerat. Nego autem, quod Nautalis consideret obiectum omninò idem quod considerat Astrologia, & quod Machinaria idem planè obiectum consideret, quod considerat Stereometria; sed idem modificatum per differentiam accidentalem, quia Astrologia considerat coniunctiones altorum secundum numerum, & proportionem; neque curat naturales eorum qualitates & prognostica tempestatum, quæ considerantur à nauta. Stereometria quoque abstrahit ab omni materia sensibili, non autem machinaria, quæ considerat corpora solida cum qualitatibus requisitis ad materiam ædificij.

Ad tertiam constat ex vltima conclusione, scientiam subalternatam sumere suas præmissas, ut patet probatas à scientia subalternante, neque sine illa esse scientiam, quamvis nullo modo sciat propter quid; nam illud sola cognoscit scientia subalternans.

Colliges ex his, quænam scientiæ aliis sint subalternatæ. Primum enim falsum est, omnes scientias subalternari Metaphysicæ, ut dicam *quest. 2.* Deinde malè dixerunt aliqui, solas scientias Mathematicas esse subalternantes & subalternatas; probabilis enim est, quod Physicæ subalternantur Medicinæ, Agricultura, Pictura, Ars nauigandi & venandi.

§. IV.

Comparatio scientiæ cum aliis habitibus intellectus.

HABITUS, qui sunt in intellectu, & iuvant cognitionem, quidam appellantur virtutes, quia semper attingunt verum; & vulgò numerantur quinque; intellectus, seu habitus principiorum, sapientia, scientia, prudentia, & ars; quidam virtutes non sunt, quia potest eis subesse falsum, & sunt fides humana & opinio; fides enim diuina vera est virtus intellectiva. Non queritur vtrum scientia & sapientia inuicem distinguantur; sapientia enim scientia est perfectissima, quæ probat suum obiectum per primas & altissimas causas. A prudentia, quæ habitus est cum recta ratione actiuus circa ea quæ sunt homini bona vel mala, differt scientia, quod habeat veras & proprias demonstrationes, nec versetur circa singularia & contingentia; quo etiam modo differt ab arte. De fide & opinione, quomodo possint esse simul cum scientia, dictum est sectione 1.

Superest ergo solum comparatio scientiæ cum habitu primorum principiorum, qui dicitur intellectus; an scilicet ille sit verus habitus distinctus ab habitu scientiæ.

Ratio enim dubitandi est primò, quia omnis habitus tollere debet aliquam difficultatem: sed in assensu principiorum nulla potest esse difficultas, vnde docet Philosophus, habitum hunc naturaliter homini esse inditum: ergo frustra dicitur dari habitum aliquem principiorum.

Secundò si daret talis aliquis habitus, certè non distinguitur ab habitu scientiæ; nam medium & finis pertinent ad eundem habitum: principia & conclusio se habent sicut medium & finis: ergo pertinent ad eundem habitum.

Terò

Quaest. I. Sect. III. de Habitu scientiæ. 617

Tertiò non distinguuntur isti habitus si ambo sunt discursiui: sed habitus principiorum non minùs discursiuus est, quàm scientia, principia enim probantur per inductionem: ergo non distinguuntur isti habitus.

Habitus principiorum an sit qualitas.
Dico primò, habitum principiorum, quæ non sunt dignitates, esse veram qualitatem intellectui superadditam, & acquisitam per actus. Sola explanatione conclusio indiget, ad cuius intelligentiam scienda sunt tria, quid sint principia, quot illorum genera, quomodo probentur.

Quid sit & quotuplex principium.
Obserua igitur primò, principium appellari propositionem indemonstrabilem per aliud, quatenus principium est; quæ nimirum ex sola terminorum explanatione cognoscitur, vt, *Quodlibet est, vel non est.* Sunt autem genera duo principiorum, dignitates nimirum, & suppositiones. Dignitates, seu axiomata, sunt principia communia omnibus scientiis, quæ nullo modo possunt demonstrari, sed ex solis terminis, sine discursu, tum doctis, tum indoctis sunt nota: nam vt aliquod axioma sit dignitas, oportet vt commune sit pluribus scientiis, vt cuiuslibet per se notum sit, vt sit omnino indemonstrabile. Suppositiones sunt propositiones particulares scientiarum ex sua natura tales, vt possint demonstrari; quæ tamen non demonstrantur, quia sunt principia.

Varietas principiorum.
Obserua secundo, plura quidem esse principia vniuersalissima, sed illud tamen, *Quodlibet est, vel non est*, implicite in omni demonstratione includi, quia omnis demonstratio potest probari per deductionem ad impossibile, quæ deductio semper in eo principio fundatur. Principia verò secundi generis in qualibet scientia sunt saltem duo, ad quæ tota reuocatur scientia: neque potest esse duntaxat vnum, quia in qualibet demonstratione tres semper sunt termini, qui non possunt in quolibet principio reperiri, sed necessariò sunt duo, quæ petuntur à causa immediata connexionis prædicti; sic enim in priori principio causa illa vnitur prædicato, in posteriori vnitur subiecto.

Quomodo probentur.
Obserua tertiò, dignitates non indigere vlla inductione, aut experimentalis noticia, vt cognoscantur, sed ex solis terminis esse notas: suppositiones autem indigent præuia inductione, vt cognoscantur: v.g. vt cognoscam physicum hoc principium, *Omne corpus naturale est mobile*, oportet vt facta inductione per corpora videam vbiunque naturalitas est, ibi esse mobilitatem.

Sed queritur, vtrum illa inductio exigatur tanquam ratio formalis assentiendi, an verò per modum conditionis & manuuctionis ad assensum sequuntur ex solis terminis, postquam posita fuerit inductio tanquam conditio applicans rationem formalem assensus.

Breuitè dico distinguendum esse; nam principium vel sumitur prout est in propria scientia, cuius est principium; vel sumitur extra demonstrationem. Si secundo modo sumatur, est verè demonstrabile per inductionem, tanquam per rationem assentiendi; & hoc non facit habitus principiorum, qui nullo modo est discursiuus, sed sola Metaphysica, vt rectè declarat Suares *dis. p. 1. sect. 4. à num. 12.* Si verò priori modo, principia non possunt demonstrari per inductionem, tanquam per rationem formalem assensus, alioqui demonstratio propter quid, demonstraretur per demonstrationem quia; & deinde illa non essent principia, quæ vt talia non probantur per aliud tanquam per rationem assensus.

Colliges ex his, habitum principiorum rectè *R.P. de Rhodis curs. Phil. soph.*

A definiri, *Est habitus intellectus inclinans potentiam intellectiuam ad promptè ac sine difficultate assentiendum principiis immediatè sine vilo discursu.* Vocatur autem intellectus; quia sicut actus voluntatis, quo fertur in finem, dicitur voluntas, eo quod sit primarius illius actus; sic eandem ob causam actus intellectus, quo fertur in principia, quæ in speculatiuis sunt instar finis, dicitur intellectus; quod idem nomen habitui tribuitur versanti circa talem actum. His positis.

Definitio habitus principiorum.

Ratio conclusionis euidentis est, quia dignitates sunt naturaliter notæ, vt nulla sentiri possit conclusio. difficultas in assensu, modò noti sint termini. Circa suppositiones autem maiorem aliquando, aliàs minorem experimur difficultatem.

B Dico secundo, habitum scientiæ realiter distinctum esse ab habitu principiorum.

An distinctus a scientia sit habitus principiorum.

Ratio est, quia vbiunque ratio assentiendi diuersa est, & diuersus modus assentiendi, diuersus etiam est habitus: in habitu principiorum, & in habitu scientiæ, diuersa est ratio assentiendi; veritas enim incomplexa terminorum cognita per primam operationem, & veritas complexa terminorum cognita per secundam operationem, sunt rationes motiue diuersæ; veritas autem incomplexa terminorum cognita per primam operationem, est ratio motiua habitus principiorum, & ratio motiua scientiæ est veritas complexa principij: ergo rationes assentiendi differunt, & ipsi etiam habitus. Deinde modus assentiendi diuersus est, nam principiis assentimur propter se, scientiæ verò assentimur propter principia; cùm scientia discursiua sit, non autem habitus principiorum, cuius proprium est cognoscere veritates immediatas, notas ex solis terminis. Distinguuntur itaque isti habitus, sicut habitus fidei distinguitur ab habitu Theologiæ.

Ad primam satis patet ex dictis, non esse difficultatem vllam in assensu principiorum, quæ sunt dignitates; in aliis esse difficultatem.

Solutio trium difficultatum.

Instabis: Postis præmissis nullam experimur difficultatem ad assensum conclusionis scientificæ: ergo non debet dari habitus scientiæ.

Respondeo habitum scientiæ non exigi ad eliciendam conclusionem positis præmissis, sed ad ponendas præmissas in ordine ad talem conclusionem; in quo est difficultas.

D Ad secundam negatur paritas, quia medium & finis eandem habent appetibilitatem, seu idem motuum appetitionis; cùm bonitas medij distincta non sit à bonitate finis. At verò principia & conclusiones habent motuum assensus diuersum, idè pertinent ad diuersos habitus.

Ad tertiam respondeo, habitum principiorum non esse vilo modo discursiuum: quod si principia probantur per inductionem, sola hoc facit Metaphysica, vt dixi.

QVÆSTIO II.

De natura scientiæ Metaphysicæ.

Sic inspectâ generatim scientiâ, non erit difficile statuere de nobilissima eius specie, dominâ videlicet & principe omnium scientiarum, vt appellat Philosophus Metaphysicam *lib. 6. cap. 1.* de cuius caractere proprio constabit assatim, si dixerò, quale sit eius obiectum, quæ munera, quæ proprietates.

FFF 3

SECTIO